



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.  
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,  
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

**Berti, Giovanni Lorenzo**

**Monachii [u.a.], 1749**

Caput XI. Eusebii Pamphili fidem adhuc in ambiguo pendere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83642](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83642)

*Patrem Dominum faceret, &c.* Rur-  
sus cap. 9. contra Praxeam Patri totam  
substantiam divinitatis attribuit, Filio  
autem portionem quamdam, ac propterea  
Patrem majorem esse Filio declarat.

6. solutio. Resp. ad 1. Filium per Tertullianum  
olim apparuisse, non Patrem, quoniam  
ad illum spectabat legis dispensatio &  
Oeconomia: ut diximus cap. 2. ad 1.  
de Justino; quod non obscure innuit ibi-  
dem Tertullianus, docens solum Filium  
ab initio conversatum, quia hunc Pater  
*proferendo Filium fecit, & exinde omni  
dispositioni suae, voluntatique praefecit.*  
Ad 2. Ratiocinatur argute ex princi-  
piis Hermogenis, qui probabat æter-  
nitatem materiae ex quo Deus ab æterno  
fuerit Dominus, & asserbat illam di-  
gestam à Filio, quem æternum esse ne-  
gabat. Sic ergo doctrinam, hominis-  
que acumen retundit. Si ab æterno  
Deus erat Pater per Filium gignendum  
in tempore; potuit etiam ab æterno esse  
Dominus *per ea, quæ sibi servitura fe-  
cisset.* Quod si pugnaciter contendas  
Tertullianum in proprio sensu locutum:  
dico Deum non semper habuisse Filium  
adoptivum, aut naturalem humana car-  
ne circumdatum; quippe consilium Ter-  
tulliani est demonstrare in Deo relatio-  
nem Patris, Domini, Judicis, utpote  
extrinsecas non connotare terminum ab  
æterno existentem, ut fallaciam depel-  
lat Hermogenis. Atque hic ego Peta-  
vium appello ad librum contra Praxeam  
cap. VIII. in quo tam diserte sempiterna  
Filii coexistentia enunciatur. Scio quos-  
dam Theologos respondere, Deum non  
semper fuisse Patrem manifestum, in se  
tamen fuisse ab æterno; idque affirmare  
Tertullianum, ut solvat Hermogenis  
argumenta. At non video quomodo  
ea responsione refellatur Hermogenes,

qui talia de materiae æternitate somnia-  
bat, nempe ab initio fuisse occultam,  
digestam tamen ac formatam in tempore.  
Postremo argumento istud habeto res-  
ponsum: portionem appellat Tertul-  
lianus *derivationem*, id est, originem:  
qua Filium minorem Patre illi quoque  
dixerunt, qui Arium debellarunt. Di-  
cet aliquis, me pugnancia scribere, qui  
Tertullianum lib. 2. feci Anthropomor-  
phitam: non enim potest intelligi re-  
rum corporearum generatio ebsque de-  
fluxu, & divisione substantiæ. Verum  
& alterius generis Tertullianus corpus  
excogitavit, quod si non repugnat di-  
vinitatis naturæ, nec Divinæ repugna-  
bit generationi: & nego ad veram cor-  
poris ideam illum mentem vertisse; ac  
præterea non absolute ibidem differui,  
sed opinanter. Denique Tertullianum  
non semper sibi constare docet Petavius:  
qui num. III. quamdam in eo observat  
præclaram de Trinitate sententiam; &  
tamen vult impietate Arium superasse.

De Cypriano non opus est specialem  
instituere disputationem, cum Christi  
divinitatem disertissime ostendat in 2.  
libro Testimoniorum contra Judæos: ne-  
que in contrarium opponantur, nisi quæ  
plenissime hucusque diluimus, E. G.  
quod aliquando Filium fateatur minorem  
Patre, eique subiectum. Lactantius au-  
tem, & Arnobius Fidem Catholicam  
profitentur: ille quidem lib. 2. Div. In-  
stitut. cap. 8. & lib. 4. cap. 29. Ille  
in ornatissimo opere adversus Gentes.  
In his, si aliqua offenderis duriora, ex  
dictis poterunt emolliiri: neque debemus  
accuratissimam exquirere Theologiam  
ab iis, qui Rhetoricæ præcipuam ope-  
ram impenderunt. De istis igitur, ut  
Capiti finem faciamus, hæc tantum.

7. Quid de Cy-  
priano sen-  
tiendum.

## C A P U T XI.

Eusebii Pamphili fidem adhuc in ambiguo pendere.

### S U M M A R I U M.

1. Habetur Notandum historicum circa statum  
quæstionis.

à num. 2. usque ad 6. afferuntur fundamenta  
contra Eusebium pugnancia.

à num. 7. usque ad 12. Habetur ejus defensio.

1. Eusebii Pam-  
phili Fides  
dubia est.

**N**ULLUS est, qui Eusebium Cæsa-  
riensem cognomento Pamphilum  
Agapii in Episcopatu successorem  
summæ eruditionis virum non admire-  
tur: quam ei gloriam solus Scaliger in  
Animadversionibus Eusebianis perperam  
conatur eripere. Tale non est de illius  
circa Verbi Consubstantialitatem Ortho-  
doxiæ commune judicium, plerisque  
Eusebium damnantibus, absolvantibus  
aliis. Stant pro Eusebio Molinaus, Zan-  
chius, Caveus, Valesius, Petitidier;  
oppugnant Baronius, Petavius, Alexan-  
der, Clericus: quos è magno Scripto-  
rum numero satis est memorasse; nam  
hi de Eusebio plura, ceteri per pauca scri-  
psere.

Q 2

plere. Horum lectis lucubrationibus gravior, quam antea, visa est controversia: unde statui argumenta utriusque partis proponere, suaeque vicissim responsa. Ac principio duo sunt mihi notanda: primum quidem falli Protestantes, qui asserunt Pontificios inter Fautores Arianismi accensere Eusebium, ad elevandam de Baptismate Constantini Historiam, quasi in gratiam Arianorum mentitus sit tinctum Nicomediae. Nam Augustissimum Imperatorem Romae baptizatum negant Eruditi viri, qui Eusebium connumerant Arianis, ut Natalis Alexander, Antonius, & Franciscus Pagi, alique: Et e contra quidam praeter Pontificios Eusebii Arianismum propugnant, ut Epist. 2. Critica Joannes Clericus. Ea ergo de Baptismate Constantini quaestio, de qua nolumus hic disceptare, non est causa, ut à nostris sinistre de fide Eusebii judicetur: quamquam supposito ejus Arianismo ex libris ejusdem & veterum testimonio, inferant aliqui potuisse ad sectae commendationem mentiri.

**Notandum.** Praeterea notandum est Eusebium lib. 1. contra Marcellum Ancyranum cap. 2. & lib. 3. cap. 7. & in Hist. Eccl. lib. 1. cap. 2. fateri Filium ante omnia fuisse, & non è nihiloeductum, & creatum in tempore, sed ab aeterno ex substantia Patris generatum: quod asserit quoque in Epist. de Decr. Nic. Syn. Sanctus Athanasius. Rejicit ergo Eusebius praecipuos errores Arianis, neque Arianus dicendus est, sed ad summum Semiarianus. Nec tamen iniquissime dicitur à Hieronymo Arianorum signifer, ut inquit Valefius in Praefat. Hist. Eusebii, & Du-Pin in nova Bibliotheca: cum Arianorum nomine ii omnes comprehendantur, qui Filio denegant divinitatem, etsi unus sit in dogmate iniquior altero; imo Eusebium Ario impense favisse, eique maxima consuetudine junctum, nemo possit negare: & idcirco carpendus non erat tanta styli acrimonia beatus Hieronymus. Jam quaestionem propositam persequamur.

#### ADVERSUS EUSEBIUM.

2.  
Damnatur  
Eusebius  
Arianismi  
ex scriptis.

Qui partes Accusatorum obtinent, his argumentis Eusebium damnant Arianismi. Proferunt 1. Eusebii scripta, unde senas Arianismi teterrimas notas apparere contendunt. Est prima distinctio divinitatis in plures gradus: nam lib. VII. Praep. Evangelicae cap. 5. appellat Filium secundam substantiam à primo principio conditam: & non semel principium

alterum à primo. Secunda nota Arianismi est, quod ait Filium post Patrem existere lib. IV. Demonstrat. Evangelicae cap. 3. tametsi eo loco splendorem soli coexistentem esse pronunciet: ideoque magis Filium à Patre divellit, quam lucem à sole. Nota Arianismi tertia est, quod Verbum vocat artificem, Patris opificium, secundum Dominum, basim & fundamentum creaturarum, quae futurae erant; id vero lib. IV. citati Operis, & lib. I. de Ecclesiastica Theologia ac praeterea γεννητόν, & γεννητόν, id est, *genitum*, & *creatum*, more Arianorum confundit. IV. In primo contra Marcellum cap. 7. in hoc Divinam Monarchiam, & unitatem constituit, quod solus Pater sit caput ac principium, Filius autem non Deus, sed Dei unigenitus, ita ut sint *duae usae*, ac *duae potestates*. Quinta perversi dogmatis nota est, quod in eodem libro Filium declarat Mediatorem inter Deum & Angelos inspecta quoque natura, quam ante Incarnationem habuit à Patre. Et sexta Arianis labis macula in eo sita est, quod cap. 19. Patrem & Filium unum esse definit *tropica voluntatum unitione*. Quae omnia, etiam si in Antiquioribus Patribus possunt benigne exponi, impia sunt in ore Eusebii, qui Nicæno Concilio interfuit, eique dolo subscripsit. Hæc est Synopsis argumentorum Petavii lib. 2. de Trinit. cap. XI. & aliorum, qui exinde scripserunt, illumque expilarunt.

Stat praeterea pro hac sententia septima Synodus Oecumenica, quæ Act. V. recitato Eusebii loco contra usum sacrarum Imaginum, declaravit rationes Eusebii nec flocci faciendas esse, cum fuerit homo *traditus in reprobum sensum, & ejusdem cum Ario opinionis*. Deinde Act. 6. clamarunt PP. quod Eusebius in Synodo Nicæna *labiis veritatem honoravit, animus vero longe ab ea aberat, ut ostendunt scripta ejus, & Epistola omnes: & mansit ut Aethiops minime mutata cute sua*. Nec solvitur argumentum, si cum Valefio reponas, actum II. Nicæna Synodo non de Fide Eusebii, sed de Imaginum cultu, ideoque, cum Iconomachi testimonium protulissent ex Eusebii ad Constantiam Epistola, eoque maxime niterentur, PP. ad elevandam hujus auctoritatem exclamarunt Eusebium fuisse Arianum; verum obiter tantum, non data opera, aut cognita causa. Non valet, inquam, hæc reponere: nam PP. satis Arianismum Eusebii exploraverant, qui ejus scripta Arianoframento infecta statim opposuerunt, hoc est, Epistolam ad Euphrationem, & alteram

3.  
Damnatur à  
Synodo Oe-  
cumenica.

alteram ad Alexandrum Episcopum Alexandriæ Ariana pestefactentes, nec non communem fidelium opinionem. His Clericus Caveum condigna auctoritate revincit, ac simul Valeſius refutatur.

4. Damatur ex Epistola ad Cæsarienses.

Tertio vafritiem Eusebii detegit ſua ad Cæsarienses Epistola. In qua proficitur se recepisse voces, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, ex substantia Patris, & ὁμοούσιος τῷ πατρί, Conſubſtantialis Patri: quatenus ſignificant Filium ex Patre quidem eſſe, ſed non Patris portionem: quod nullus Arianorum negaſſet. Addit ſe pariter admiſiſſe voces γεννηθέντα, & ποιηθέντα, Genitum, non factum: quoniam Factum adjectivum eſt cæterarum creaturarum, quæ per Filium factæ ſunt. Ait probaſſe ſe voces alias, Non erat antequam genitus eſſet, quia omnes fatentur filium Dei fuiſſe, priuſquam ſecundum carnem gigneretur. Affirmat fuiſſe in Patre potentia, priuſquam actu fuiſſet genitus. Concludit denique ſe idem credere, & docere quidquid præteritis temporibus crediderat, & docuerat. Veterator eſt ergo, vaſerrimus, & vere Aethiops, cui detrahi nequit fuligo: & fruſtra ex deſcriptione Nicæna illum conati ſunt aliqui dealbare.

5. Damatur ex teſtimonio veterum.

Accedit argumentum quartum, ex veterum contra Eusebium teſtimonio. Nam Athanaſius in lib. de Decr. Nic. Syn. tradit, illum priuſ temere erraſſe, & fruſtra pugnaſſe adverſus veritatem, & tanquam canem ad vomitum rediſſe. Hieronymus eum appellat hæreticum hominem, apertiſſimum impietatis Arianae propugnatoſem, Arianorum ſigniferum, tam in lib. 1. Apolog. cap. 2. quam in Epist. ad Pamachium 65. Epiphanius H. 68. eundem inter Fautores Arianorum connumerat. In ejus ſcriptis Arianici dogmatis germina deprehendunt Theodor. lib. 1. Hiſt. Photius Cod 19. alique permulti. Eos vide in Præf. Valeſii.

6. Damatur ex ingenio & ratione agendi.

Denique redarguunt Eusebium ipſius ingenium, & ratio agendi. Etenim in Concilio Nicæno propoſita Fidei formulæ initio ſubſcribere recuſavit, licet poſtridie annuerit veritus piſſimi Imperatoris minas, & ærumnas exilii. Abſoluta autem Synodo Arianorum partibus maxime ſtudit. Præſuit horum conventiculis Antiocheno, & Tyrio, ac Magnum Athanaſium continuo vexavit. Episcopos Arianae factionis in libris contra Marcellum eximia laudatione proſequitur: & peſtilentiſſimæ cadaver hæreſeos, quæ tantas orbis plagas infecit, in Eccleſiaſtica hiſtoria curavit alto ſe-

pelire ſilentio. Quinque ſunt ergo contra Eusebium capita accuſationis, ab ejus ſcriptis, à Synodali ſententia, à ſimulata ſubſcriptione, ab Adverſariorum dignitate, atque à Perſonæ adjun-ctis.

IN EUSEBII DEFENSIONEM.

Quoniam proxima eſt accuſandi ac defendendi ratio, alia quinque pro Eusebio, eodemque ordine argumenta pro-ducam. Sit primum ex ejus ſcriptis. In his adinvenio ſex divinitatis Filii characteres. Nam 1. Eusebius, quamvis frequenter ſolum Patrem appellat Deum, quia ſolus caret principio, & eſt totius ſons Deitatis, nihilominus lib. 1. de Eccl. Theolog. cap. 20. ait de Filio: Deus eſt, ac Dominus ſimiliter atque Pater, & Dominus ac Deus, quomodo per Scripturas univerſas annuntiatur. Atque exponens illud Deus erat Verbum, declarat non θεῶν appellari, ſed θεὸν, quia habet Divina dignitatis excellentiſſimam naturam. Dei ergo nomen Filio non denegat. II. Libro 1. & 2. contra Marcellum tribuit Filio omnipotentiam, infinitatem, & gloriam miraculorum. Fatetur itaque illi convenire attributa, quæ ſunt propria ſummi Dei. III. In VII. Demonſtr. Evang. cap. 2. recitato de Chriſto inſigni loco Micheæ, Et egreſſio ejus à diebus æternitatis, hæc habet: Quod ab æterno exiſtat, cui eſt accommodandum niſi ſoli Deo? Igitur in Chriſto etiam coæternam Patri divinitatem agnovit. IV. De Eccl. Theolog. 2. cap. 4. Eusebius Filium docet revera eſſe αὐτόθεον. Huic vocabulo apud veteres duplex ineſt ſignificatio ob geminam vim hujus pronomini αὐτό in compoſitis, aut enim ſignificat quod à nullo principio originem habet, & hoc ſenſu Filius non eſt αὐτόθεος, Deus ſe ipſo: aut ſignificat quod non eſt tale participatione, ſed ſua met ſubſtantia, & ita Filium eſſe αὐτόθεον fides tenet, eoque nomine Athanaſius in fine Protreptici egregie Arianos reſellit. Vide Petavium præcipuum Eusebii hoſtem, lib. vi. de Trinit. cap. xi. hæc docentem, & acute probantem. At Eusebius non credidit Filium eſſe αὐτόθεον priori ſenſu, neque enim Sabellianus erat, aut filium à Patre generatum negabat. Ergo Filium putavit αὐτόθεον in altero ſenſu, nimirum ipſiſſimum Deum, non participatione, ſed ſubſtantia. Sufficit, inquit Valeſius de voce illa αὐτόθεος, ad repellendas omnes calumnias eorum, qui Eusebium noſtrum Ariani dogmatis labe

7. Defensio Eusebii.

Defensio ex scriptis propriis.

*aspersum crediderunt.* V. Filium esse Unigenitum Dei filium naturalem, non adoptatum, ex substantia, non ex Patris potentia genitum, disertissime scribit Eusebius lib. 1. contra Marc. lib. v. Demonstr. Evang. cap. 4. & alibi quam sapissime. VI. In generatione Patris Verbum eandem recipere Deitatis naturam non poterat Eusebius fateri expressius, quam in in 1. de Eccl. Theologia hisce verbis: *Quod natum est ex carne caro est: & quod natum est ex Spiritu Spiritus est. Deus autem Spiritus. Consequens igitur est, ut intelligamus quod natum est ex Deo Deum esse; &c.* Jam vero si Filio dat Eusebius Dei nomen, Dei attributa, Dei aternitatem, Dei Θεότην, Dei naturalem imaginem, Dei veram propriamque substantiam: quomodo Arianica labe contigit?

8.  
Defenditur  
ab auctori-  
tate.

Producam modo alterum ab insigni auctoritate argumentum. Cum Occidentales, uno fere excepto Hieronymo, de Eusebio honorificentissime locuti sint, Romani Pontifices Eusebium tanquam Orthodoxum agnoverunt: ex alio autem capite horum iudicium Patribus secundæ Nicenæ Synodi videtur præferendum. Hujus argumenti priorem partem demonstro ex libro Gelasii de duabus naturis, ubi Eusebius inter Catholicos Scriptores refertur; atque ex testimonio Pelagii, qui illum nominat inter Historicos honoratissimum. Vide Præfationem Valesii. Partem alteram probo, quia in Epistolis recitatis in VII. Synodo asseritur quidem Patrem esse Filio priorem, secundam causam, aliaque id genus nonnulla. At hæc omnia, si cum iis æquiparentur, quæ nuper recitata sunt, debent exponi de prioritate originis, & de relativo ordine Personarum. Cum tamen in se dubia sint, & aliunde nota esset familiaris Eusebii cum Arianis consuetudo, atque ob Orientalium scissuras Casariensis tanquam Arianus audierit; recte PP. Nicæni noluerunt scripta Eusebiana probare: eo vel maxime quod Iconomachi simul, & Ariani, tanti viri freti auctoritate pertinacius fovebant errorem. Alioquin, si hæc pro Eusebio non valent, quomodo viri probi, atque eruditi Honorium ab errore Monothelitarum immunem esse fatentur, quem lecta ad Sergium Epistola Synodus VI. damnavit? Si hæc ob falsum rumorem, & Honorii cum Monothelitis consuetudinem, aut Oeconomiae causam, aut sinistro iudicio in Romanum Pontificem nulla hæresi maculatum sententiam dixit: quare non

potuit idem evenire Patribus Synodi VII. circa Casariensem Episcopum? Honorii Orthodoxia in IV. horum librorum parte erit vindicanda.

Urgebo tertio loco argumentum ex Actis Synodi Nicænæ: Si enim hujus fidei revera Eusebius subscripsit, quomodo inter hæreticos connumeratur? Quoniam, inquiunt, politico spiritu id fecit, non Catholica ductus pietate; & diu subscribere detrectavit. Atqui ex ipsa Eusebii renitentia ingenua ejus fides apparet; multi enim & piissimi, & doctissimi initio respuerant *Omoousion*, propterea quod Sabelliani inde inferabant divinæ naturæ scissionem. Hinc Eusebius in Epist. ad Casarienses: *Non concessimus*, inquit, *sine inquisitione, quod Filius sit ex substantia Patris, & Patri Consubstantialis.* Hæc se probasse ait, statim ac alii PP. confessi sunt, ita Filium esse *Omoousion*, ut non sit pars essentiae paternæ. Nolebat ergo *Omoousion* admittere, non quod consentiret Arianis, sed quod Sabellianis adversaretur, nec aliud objecit circa præfatam dictionem. Quatenus ergo apposita est in perniciem Arii, probavit eam Eusebius: & pristina repugnantia potuit esse zelus veritatis. Nimis scrupulose in hac Epistola notantur ea verba *κατὰ τὴν φύσιν τῶν κατὰ τὴν φύσιν κτισμάτων* *ceterarum creaturarum*, quasi Eusebius in rerum creaturarum serie etiam Filium comprehendat: nam paulo post addit *nullam esse Filio Dei similitudinem cum factis creaturis, & Patri, qui eum genuit per omnia esse similem*: ubi absque pronomine habetur *πρὸς τὰ γεννῆται κτίσματα*, *cum factis creaturis*: neque istuc legitur *similem factum*, ut alii vertere, sed *ἀπομορφωσθέν* duntaxat, scilicet, *assimilari*. Addunt Adversarii, affirmasse Eusebium se probasse Filium non esse ex non extantibus, quod præextiterit Incarnationi. At nunquid negat æternam Filii existentiam? Imo in Confessione Fidei suæ in eadem Epistola, ait: *Et in unum Dominum Jesum Christum Dei Verbum, Deum ex Deo, lumen è lumine, vitam è vita, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia sæcula ex Deo Patre genitum, per quem etiam cuncta facta sunt.* Regerunt dixisse, quod Filius antequam gigneretur fuit in Patris potentia, & hæc Verba Socratem prætermisisse, ne causam Eusebii aperte proderet. At e contra, cum non sint apud Socratem, videntur addita cujusdam Ariani malitia. Præterea, & si duriora hæc videantur, exponi possunt de sola originis prioritate; cum aliis in locis doceatur manifeste Filium semper fuisse,

ut-

utpote genitum è substantia Patris, non è potentia: ita in 2. de Eccl. Theol. & in 1. contra Marcellum. Quod postremo obijciunt ex laudata Epist. asserere Eusebium se in priori perseverare sententia, referendum est ad Confessionem Fidei suæ; ait enim: *Convenire visa sunt, quæ in fide præexposita nos ipsi confessi sumus.* Atque in Fide Eusebii desiderabatur tantummodo vox *Omoousion*; quam nulla malitia, ut dictum est, respuebat. Ex quibus constat non simulato animo, sed ingenue Eusebium Fidem probasse Nicanam.

10. Defenditur ex veterum testimonio. Veniamus ad veterum testimonia: Eusebium fuisse Arianum negat Socrates in Hist. Eccl. lib. 1. cap. viii. Et lib. ii. cap. 21. Manifeste redarguere furorem Arianorum, & ab his defectionem ipsius insimulari, scribit ipse Theodoretus lib. 1. cap. xi. Gelasius Cyzicenus in lib. ii. de Synodo Nicæna cap. 1. *Nemo existimet, inquit, ex iis, quæ de illo circumferuntur, virum hunc in Arii impietatem unquam concessisse.* Infinitus ero, si omnia proferre voluero. Quod Græcorum plures Eusebium Arianis adnumerent, fecit præfata Arianorum insimulatio; & maxime illorum contubernium, & lata à Tyriensi Synodo in Athanasium sententia. Propter hæc duo venit in suspicionem erroris. At non contigit fere idem Liberio, quem cap. sequenti à nota Arianismi vindicabimus? Hominem impense Arianis patrocinatorum, nemo mirabitur, qui horum noverit calliditatem, & quanta Athanasio crimina supposuerunt. Hujus autem argumenti hæc est consecutio: damnant Eusebium permulti, defendunt & plurimi; potuerunt illi decipi falsis rumoribus, rerumque gestarum specie. His ergo, non illis subscribendum est; præsertim cum in æquali testimoniorum discrepantia sint favorabilia oppositis præferenda.

11. Defenditur à cultu. Postremo Eusebii probitatem, fidemque Orthodoxam probat cultus, quo multi eum tanquam Sanctum venerati sunt. Locum habet die xxi. Junii in Martyrologio Ussuardi & Adonis, in Breviario Ms. Lemovici, apud Vetussum Auctorem Pass. S. Valeriani, In Canone Paschali Victorii: cohonestatur titulo Sancti in antiquo Ms. Hist. suæ penes Ecclesiam Parisiensem: Beatus, Doctus, & Ecclesiasticæ Historiæ dictator illustis dicitur in Veteri Ms. Regiæ Sveciæ apud Cl. Schelstrate Tom. 2. Antiq. pag. 563. Hæc nequeunt intelligi cum Baronio de Eusebio Samosateno, neque cum Pagio de S. Eusebio

Episcopo Casareæ in Cappadocia Magni Basilii decessore. Etenim Eusebius ille non erat Palestinus, & Casariensis; iste non erat Ecclesiasticæ Historiæ dictator. Cum hac duplici evidentissima nota distinguitur Eusebius in Martyrologio Ussuardi, in Ms. Parisiensi, & in Codice Sveco. Quomodo ergo Pagius putat Eusebii nomine non posse intelligi Samosatensem, cum is non fuerit Casariensis; ita errare potest Pagius ipse, quoniam Eusebius Cappadox non fuit Historiographus: & immerito antiquis his monumentis fides detrahitur. Accedit Eusebium fuisse integerrimum, pacis amantissimum, & non constare ipsum molitum fuisse D. Athanasii perniciem, aut esse novarum Fidei formularum Auctorem. Potuit ergo cum Arianis versari, ut Ecclesiæ scissuras componeret; ut contendit Du-Pin. T. n. 2. pag. 18. Quinque ergo capita accusationis Eusebii poterunt quinque aliis refelli.

Si quis hanc ultimam persuasionem forsitan induit, illum commonefacio alios nonnullos inculpata fidei Patres appellavisse Filium secundam *ύπ' αὐτῶν*, causam, ut Basilii de Sp. S. cap. 16. & in 1. contra Eunomium; quod PP. Græci plerunque causam ac principum eadem significatione usurpaverint. Dixerunt alii Filium *ministerium Patris*, ut Irenæus lib. v. cap. 17. plerique etiam *γεννητὸν & γεννητὸν factum, & natum*, confundunt; quorum usum aliquando promiscuum fuisse docet lib. v. cap. 1. Peravius: tamen modo accurate sint distinguenda. His ergo animadversionibus poterit quisque sese contra Accusatores Eusebii munire. Quod si his mavult adhærere; notet ex adverso, etiam Semiarianos rationem geniti naturalem patris imaginem, substantiam quoque divinam Filio concedere, at non eandem numero cum Patris essentia: atque hanc postremam non satis erui è scriptis Eusebianis. Advertat ultro, doctissimum, versutissimumque hominem potuisse quandoque fateri Filium *Autotheon*, & non factum, quatenus non est productus per aliud Verbum ministerium Patris, uti sunt reliquæ creaturæ. Circa Eusebii sanctitatem rectissime poterit respondere, non esse relatum inter Sanctos à Romano Pontifice, neque talem haberi ab Ecclesia universa: privatos autem cujuscumque literaturæ interdum falli. Pios demum Martyrologii Auctores Adonem, & Ussardum reperto S. Eusebii nomine, non advertisse alios esse Eusebios sanctitate conspicuos præter Casariensem multiplici

12. Cautela.

tiplici librorum editione clarissimum; atque ita Divo Eusebio additum Casariensis agnomen: ut ex Fortunio infert

vir eximius Antonius Pagi ad annum 740. n. 22. Hoc modo utriusque sententiæ patronis aliquantulum satisfecerimus.

## CAPUT XII.

Liberium Papam non subscripsisse Arianorum blasphemiam.

### SUMMARIUM.

1. Habetur Notandum historicum circa statum quæstionis.
2. 3. & 4. Proponuntur tres sententiæ.
5. Probatur, Liberium subscripsisse uni ex tribus Sirmiensibus formulis quæ interpretative saltem appellari debet Ariana.

6. Propugnatur, eum non subscripsisse tertiæ formulæ Sirmiensis.
- à num. 7. usque ad 11. ostenditur, eum secundam formulam Sirmiensem formaliter hæreticam neque absolue; neque in una tantum parte approbasse.
12. 13. & 14. Satisfit objectionibus.

1. Quid de Liberio Papa sentiendum.

Tres fidei formulæ Sirmienses notandæ.

**I**NTER Fidei formulas à fautoribus Arij post damnatam eorum hæresim vulgatas, tres Sirmienses commemorandæ mihi sunt; prior contra Photinum edita anno 351. altera ab Hosio, & Potamio conscripta anno 357. postrema autem 359. opera Basilii Ancyran. Definitum est in prima, Verbum esse Deum de Deo; & dictum anathema iis, qui Filium ex non extantibus, aut ex altera hypostasi profitebantur: suppressum duntaxat vocabulum *Omoousion*, fidei tessera tunc Orthodoxæ. Hæc fidei formula in se quidem Catholica est, ac talis habetur ab Hilario in lib. de Synodis: rejicitur tamen ob latentem Arianorum fraudem ab Athanasio. Alteram memoratus Hilarius jure merito appellat blasphemiam: quippe & *usia*, & *Omoousion* prohibet fieri mentionem; atque Filium subjectum, & Patre minorem dignitate, honore, ac majestate, nefaria impietate declarat. Decernitur in tertia Filium esse Deum de Deo, & similem Patri; at exploditur *substantianomen*, tanquam ignotum, incaute à Patribus positum, & cujus nullum sit in sacris libris vestigium. Ergo, cum Liberius apud Bercæam exul dolo Semiariorum circumventus, fractus animi, corporisque procellis, nec omnino liber affectu, ex præfatis formulis unam probaverit, quod est ex Ecclesiasticis monumentis, ejusque Epistolis satis comperit: oritur quæstio, num veritatem, pro qua invictè certaverat, pessumderit; an vero Arianicæ pestis evaserit contagionem. Nam si fidem secundam amplexus est, actum de Liberio: si tertiam; licet possit quoquomodo defendi Orthodoxus, magnum emergit incommodum, id est, Romanum Pontificem aliquando decretum Nicænum, eoque consecratum *Omoousion*, conculcasse: quod vereor, ne sit pericundum Pontificiæ Auctoritatis Impugnatoribus:

quam si fas esset in dubium revocare, non essem ego de lapsu Liberii sollicitus: sed cum illam firmissimam Ecclesiæ Petram intimo, veroque sensu profitear; operæ pretium est in patrocinium veritatis nervos omnes intendere.

Itaque triplex sententia occurrit examinanda. Prima est H. Valesii in Notis ad iv. lib. Sozomeni cap. 15. in quam manibus pedibusque it Pagi ad an. 357. num. xi. qui docent Liberium probasse tertiam formulam editam, ut putant, anno 358. quo Liberius restitutus est. Quod probant hoc argumento: Ut constat ex fragmentis Hilarii n. vi. subscripsit Liberius Fidei Ecthesi, quam idem Hilarius appellat *perfidiam*, & quam conscripserunt Narcissus, Theodorus, Basilus, Eudoxius, Demophilus, &c. At formulam, quam hic Hilarius appellat *Perfidiam apud Sirmium descriptam*, non est prima Sirmiensis, hanc enim Hilarius in lib. de Syn. affirmat esse Catholicam; neque est Sirmiensis secunda, quippe hanc, Auctore eodem Hilario, conscripserunt Hosius ac Potamius, qui non recensentur in eorum Catalogo qui receptam à Liberio formulam probaverunt. Oportet ergo, ut Liberius subscripserit tertiæ eodem anno editæ, in quo revocatus est ab exilio.

Altera sententia est Blondelli in lib. de Primatu Papæ, cui ex parte accedit Petavius in Observat. ad Epiphanium, & probabiliores putant Novatores omnes, Liberium scilicet subscripsisse secundæ Sirmiensis: quæ sententia huic nixa est argumento. Formula, quam Hilarius *Perfidiam* appellat, revera est secunda, & expresse hæretica, cui in lib. de Synodis præfigitur titulus: *Exemplum blasphemiam apud Sirmium per Hosium, & Potamium conscripta*. At Liberius adhuc in exilio degens subscripsit huic Formulæ, ut ipsemet scribit in Epist.

2. Sententia 1. Lyberius probavit tertiam formulam.

3. Sententia 2. Liberius probavit secundam formulam.